BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 — Seite 128v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ergo fili hominis ne timeas eos neque
sermones eorum metuas: quoniam increduli
et subversores sunt tecum et cum
scorpionibus habitas. Verba eorum ne
timeas et vultus eorum ne formides:
quia domus exasperans est. Loqueris
ergo verba mea ad eos si forte audiant
et quiescant: quoniam irritatores sunt. Tu
autem fili hominis audi quecumque
loquor ad te: et noli esse exasperans
sicut domus exasperatrix est. Aperi os
tuum et comede quecumque ego do tibi.
Et vidi et ecce manus missa ad
me in qua erat involutus liber:
et expandit illum coram me: qui erat
scriptus intus et foris: et scripte erant
in eo lamentationes et carmen et ve.
Et dixit ad me. Fili hominis: quodcumque
inveneris comede. Comede volumen
istud: et vadens loquere ad filios Israel.
Et aperui os meum: et cibavit me volu
mine illo. Capitulum. III.
Et dixit ad me. Fili hominis.
venter tuus comedet. et
viscera tua complebuntur vo
lumine isto quod ego do tibi. Et come
di illud: et factum est in ore meo dulce
sicut mel. Et dixit ad me. Fili hominis
vade et ingredere ad domum Israel. et loqueris
verba mea ad eos. Non enim ad populum
profundi sermonis et ignote lingue
tu mittis ad domum Israel: neque ad
populos multos quorum non possis
audire sermones. Et si ad illos mit
tereris: ipsi audirent te. domus autem Israel
nolunt audire te: quia nolunt au
dire me. Omnis quippe domus
Israel attrita fronte est et duro corde.
Ecce dedi faciem tuam valentiorem
faciebus eorum: et frontem tuam durio
rem frontibus eorum. Ut adamantem
et ut silicem dedi faciem tuam. Ne
timeas eos. neque metuas a facie
eorum: quia domus exasperans est. Et
dixit ad me. Fili hominis omnes
sermones meos quos loquor ad te
assume in corde tuo. et auribus tuis
audi: et vade ingredere ad transmigra
tionem ad filios populi tui. et loqueris
ad eos. et dices eis. Hec dicit dominus
deus: si forte audiant et quiescant.
Et assumpsit me spiritus: et audivi post
me vocem commotionis magne. Be
nedicta gloria domini de loco suo:
et vocem alarum animalium percutientium
alteram ad alteram. et vocem rotarum se
quentium animalia. et vocem commo
tionis magne. Spiritus quoque levavit
me et assumpsit me: et abii amarus
in indignatione spiritus mei. Ma
nus enim domini erat mecum confor
tans me. Et veni ad transmigra
tionem ad acervum novarum frugum.
ad eos qui habitabant iuxta flumen
Chobar. et sedi ubi illi sedebant:
et mansi ibi .vii. diebus merens in
medio eorum. Cum autem pertransissent
.vii. dies: factum est verbum domini
ad me dicens. Fili hominis spe
culatorem dedi te domui Israhel:
et audies de ore meo verbum. et an
nuntiabis eis ex me. Si dicente me
ad impium morte morieris. et non
annuntiaveris ei. neque locutus fueris
ut avertatur a via sua mala et vi
vat: ipse impius in iniquitate sua
morietur: sanguinem autem eius de
manu tua requiram. Si autem an
nuntiaveris impio. et ille non fuerit
conversus ab impietate sua. et a via
sua impia: ipse quidem in iniquita
te sua morietur: tu autem animam
tuam liberasti. Sed et si conversus iustus
a iustitia sua fecerit iniquitatem: